


& accidentalī contiguitatis harmonia  
actionem quasi communem edunt. Hic  
verò de ea forma loquimur, à qua pri-  
mò & per se omnis vis actionis proma-  
nat. Ergo dissimilare remedium in par-  
tes suis facultatibus instructas cōsumi-  
tur, cuius demonstrandi prouincia no-  
bis incumbebat.



## C A P V T I X.

*Medicamentum, quod similare esse videtur, an  
queat in partes diuidi suis facul-  
tatibus præditas.*

**D**E eo verò remedio, quod sim-  
plicis naturæ est, cuius omnes  
partes inter se & toti sunt simi-  
les, eandemque cum toto definitionem  
& nomen obtinent, vt caro est, sanguis,  
lac, acetum, cartilago, & alia his similia,  
operosior nonnihil commentatio fu-  
tura est, an in partes constituentes diui-  
di eas possit, quæ priuatis facultatū do-  
nis abundant. Negotiū vniuersum dua-  
bus conclusionibus definiemus : qua-  
rum